Despiciens manna plebs illa rursus petit ollas
Nigra suis viciis plebs negat ista fidem.
Dum de rebus bonorum mentium vicissim tractaretur
adiunctum est dum ipsis manna preferret ollas
carnium pepones cepas porros etc.
Ollarum carnes peponum fercula porros
Cepas pro manna turba gulosa petit.
Quosdam consimiles sinus ecclesie in nutrit
Qui pro diuinis terrea vana petunt.
Interiorem mentis designat manna saporem
Actus egipti denotat esca malos.
Carnes ollarum carnalia facta figurant.
Que velud in nostra carne libido coquit.
Pepones signant quedam mala dulcia tamquam
Ocia sunt, sompnus, gaudia, blanda quies.
Porri vel cepe mala signant aspera tamquam
Sunt ire, sanguis, furta, rapina, dolus.
Illa creant oculis lacrimas, ita nec sine fletu
Possunt ista geri vel sine peste grauii.
Subtus pendentem fert botrum pertica. Christum
Supra pendentem suscipit ara crucis.
In ligno botrus pendens est in cruce Christus.
Profluit hic vinum, profluit inde salus.
Exprimitur prelis de botro gracia vini
Pressa crucis prelo sanguinis unda fluit.
Altaris calicem potus tam nobilis implet
Lingua sacerdotis cum sacra verba serit.
Sunt duo vectores botri gentilis hebreus.
Hic prior ille sequens, cecus hic, ille videns.
Sabbata contempnens homo ligna legens notat illos
Qui mala multiplicant, et in hiis pace manent.
De gradio chore dathan et abyron.
Vt thuribulis abyron datan et chore temptant
Contra iussa dei scismaticos que notant.
Qui statuunt altare recens et scismata construunt
Qui baptisma nouant, ecclesiam que premunt.
Et sicut pereunt illi telluris hiatu
Sic istos vindex puniet ira dei.
Dum de boni pastoris studio tractaretur adiunctum
est quod aaron accepto thuribulo inter viuos
et mortuos stetit etc.
Thuribulum sumens inter viuos atque
Defunctos aaron flens que precans que stetit.
Sic placare deo iustos que reos que sacerdos
Debet et ad celum fundere vota precum.
Oret ne iustus de iusticia cadat, oret
Ut prauus surgat et mala prima gemat.
Pro inicio resurrectionis adiunctum est de
duodecim virgis et de virga aaron que floruit
Virga leui viruit inter virgas duodenas
Florens, que remanent absque vigore manent.